

CAP. XI.

41 Sustulerant ergo lapidem, è loco, vbi mortuus ille fuerat positus. Iesus. a. attollens sursum oculos dixit: pater gratias ago tibi, quod me audieris.

42 Ego vero sciebam me semper à te audiri: sed propter turbam circumstantem hoc dixi: vt credant me à te missum esse.

43 Et quum hoc dixisset clamauit voce magna, Lazare ades dum foras.

44 Tum qui fuerat mortuus, prodiit manus & pedes vinctus fasciis: facies autem eius sudario erat obuincta. Dicit eis Iesus, soluite eum & finite abire.

45 Multi ergo ex Iudæis, qui venerant ad Mariam & conspexerant, quæ fecerat Iesus, crediderunt in eum.

46 Quidam. a. ex eis, abierunt ad Phariseos & dixerunt eis quæ fecerat Iesus.

47 Coegerunt ergo Pontifices & Pharisei, conciliū & dicebāt, quid faciemus? Nam hic homo multa signa edit.

48 Si ita finamus eum, omnes ei credent: venientq; Romani & delebunt tum locum nostrum, tum gentem.

49 Vnus. a. ex ipsis Caiphas, pontifex maximus anni illius, dixit eis, vos nihil scitis:

50 Nec cogitatis expedire nobis, vt vnus homo moriatur pro populo, & tota gens non pereat.

51 Hoc. a. ex semetipso non dixit: sed quū esset pontifex maximus anni illius, pphe-
tauit fore, vt Iesus pro gente moreretur.

52 Nec tantum pro ea gente, sed vt filios Dei dispersos, cogeret in vnum.

53 Ab illo ergo die, consulta bant vna, vt trucidarent eum.

54 Iesus ergo palam amplius non versabatur inter Iudæos: sed abiit illinc, quæ est prope desertum, in urbem quæ dicitur Ephraim, & illic agebat cum discipulis suis.

127.
Conciliū
Phariseo-
rum cōtra
Iesum.